

Franckesche Stiftungen zu Halle

Compendium Theologiae Moralis

Coing, Johann Franz

Francofurti ad Moenum, 1784

VD18 13249509

Caput VII. De Officiis Erga Singulos Christianos Et Homines

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:obv:ha33-1-219855](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:obv:ha33-1-219855)



CAPUT VII.

DE

OFFICIIS ERGA SINGULOS CHRISTIANOS
ET HOMINES — —

§. 137.

Lex illa Mat. 22, 39. est fons & complexus omnium erga proximum officiorum, Rom. 13, 8. 10. 1 Cor. 13, 1—7, Gal. 5, 14. Proximus ibi denotat omnes homines. Mat. 7, 12. Luc. 10, 29. Rom. 13, 8. Quia vero proximum amare debemus sicut nos ipsos; *amor erga proximum* est mentis propensio habitualis ex proximi perfectionibus voluptatem capiendi, ejusque veram salutem semper desiderandi. In amore *propensionem* & *efficientiam* distinguere possumus. Quare, quoniam proximum, omnes homines, sicut nos ipsos amare debemus; impossibile autem est, ut amore efficiente ad omnium salutem aliquid conferamus: efficitur 1) ut nos omnium hominum salutem æternam & temporalem ex corde optare, desiderare debeamus, æque ac nostram, quod facere universe possumus; atque precibus ad Deum pro omnibus, quo actu illud præstamus, exoremus 1 Tim. 2, 1. 4. Porro cum amor ille præceptus nullus tamen esset sine efficientia nostra, ubi possumus, Mat. 7, 12. Jac. 2, 8. 16. sequitur inde 2) ut ad hominum etiam

etiam veram salutem, utramque, tantum conferamus, ut causa physica & moralis, quantum pro viribus nostris & circumstantiis valeamus. Cum autem Deus, qui amorem hunc, illis modis n. 1. & 2. universalem, præcepit, varias etiam inter homines relationes, nexus, constituit, quibus alii nobiscum arctiori coniunguntur vinculo, vel minus; atque Deus ipse, qui omnes amat homines, Mat. 5, 45. Pf. 45, 9. Jo. 3, 16. 1 Tim. 2, 4. pios tamen magis amat, quam impios, Jo. 14, 23. 1 Tim. 4, 10 —

3) Secundum ordinem & constitutionem Dei naturalem, & spiritualement, seu per opus redemptionis positum; propensione & actu alios aliis magis, præcipue ubi amore efficiente æqualiter id fieri nequit, amare debemus. Ita conjuges maxime semet ament Gen. 2, 24. Ephes. 5, 28; deinde amentur parentes, liberi, fratres, sorores, cognati, collegæ, vicini, cives, patria, omnes tandem homines, quidquod inimici, Mat. 10, 37. Rom. 13, 1 — — Mat. 5, 44 — —. Christiani præsertim veri ob novum & arctius per regenerationem vinculum, 1 Pet. 1, 22. 23. Ephes. 4, 3. 1 Cor. 12, 12. 13. 2 Pet. 1, 7. amandi præ non Christianis; etiam præ cognatis, qui non veri sunt Christiani. Benefici & amici, si veri sunt Christiani, præcedunt alios Christianos; & qui benefecerunt nobis beneficiis spiritualibus, præferendi sunt beneficia temporalia nobis præstantibus. Habet hæc tamen regula suam exceptionem, si nimirum *officium perfectum* sit præstandum soli proximo, & *officium imperfectum* juncto mecum arctiori præterea vinculo, in statu

statu collisionis, ubi utrique satisfacere simul nequeo, illud necessario est præferendum; similiter ubi urgentior est necessitas, tam propter tempus, quam gravitatem officii — —. Sit ergo amor noster *universalis, efficax*, ubi fieri potest, at tamen *bene ordinatus*. Amor autem noster erga alios semet porro 4) vel negative, vel positive demonstrare debet. *Negative*, ut nullum malum a) alteri, ex. gr. mortem — — in corde optemus, aut eum exsecremur Mat. 5, 22. Jacob 3, 9.; multominus b) alteri malum, ut causa moralis aut physica, actu inferamus, seu eum lædamus, Rom. 13, 10: Secundum illud Imperatoris Severi symbolum: *) *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*. *Positive*, ut a) avertamus a proximo mala, aut præsentia tollamus, minuamus; b) tot & tanta bona conferamus, ad cujuslibet veram felicitatem, quantum moraliter & physice possumus. Utrumque autem debita cum sapientia & prudentia fieri debet; & ad auream regulam **): *quæ vultis, ut alii vobis faciant, id ipsis faciatis* Mat. 7, 12. Quia nimio nostri amore sæpius negligentius officia erga alios tractare solemus —, eapropter vult Servator, ut in officiis erga alios mutemus personam, nosque aliorum loco substituamus, ut excitato sic nostro instinctu conservationis, atque perfectionis eo faci-

*) A Christianis vel Judæis acceptum, vid. Grotius ad Mat. 7, 12.

**) Includit hæc, quæ proxime est pro officiis affirmantibus, alteram illam: *quod tibi non vis fieri* —, quæ proxime est pro negantibus, seu omittivis.

facilius omittamus erga alios, quæ vellemus omitti erga nos, & faciamus aliis, quæ vellemus fieri nobis. Præprimis 5) amor noster erga alios fundetur in fide, Gal. 5, 6. Act. 15, 9. sine qua, propter corruptionem naturalem *) — nullus sincerus, adeoque verus & constans, qui vel nulla respicit commoda — —, 1 Cor. 13, 5. erit, inter homines amor 1 Tim. 1, 5; atque fluat ex amore Dei in Christo, Rom. 5, 8. 1 Jo. 4, 10. 11. 20, qui omnium hominum vult veram salutem Mat. 5, 45. ff. 1 Tim. 2, 4 — — Amandus igitur proximus & quia Deus, & quomodo illum vult amari, & sicut ipse illum amat.

§. 138.

A. Obligamur ad nostrum proximum amandum, præter loca illa Mat. 22, 39. Jac. 2, 8. per rationes sequentes: Omnes 1) eundem habemus per creationem Patrem, Deum, Mal. 2, 10: 2) omnes ex uno sanguine originem nostram trahimus Actor. 17, 26: omnes 3) nos ad eundem Deus produxit finem, nimirum, ut sub Ejus glorificatione vere simus felices, confer §. 21; omnes igitur, qua cives ejusdem civitatis Dei maximæ v. 24. conjunctis viribus ad finem illum communem & ultimum tanquam una persona, moralis, collaborare debemus: nos 4) ita Deus constituit, ut mutuis auxiliis indigeamus ad bene beateque vivendum — —, sine

*) Ubi enim & quatenus corruptio naturalis per gratiam nondum est in corde hominis suppressa — — ibi adhuc in tantum vel totum viget amor sui ipsius perversus, & in specie proprius, qui vero inimici sunt amanti vero proximi, conf. §. 50.

fine aliorum autem amore illi nos minime vere juvabunt: 5) Deus omnes amat, qua suas creaturas, cujus igitur sequi debemus exemplum Mat. 5, 48: 6) indidit ad illud officium eo facilius nobis reddendum, instinctum benevolentiae erga alios, confer Schol. ad §. 13. 14. qui & nobis sunt similes, eademque præcellenti natura præditi, ad imaginem nempe Dei & ad immortalitatem creati. Est quidem instinctus ille benevolentiae per corruptionem naturalem valde debilitatus; excitandus vero iterum per christianam religionem. Doctrina Evangelii sequentes, ad omnes amandos, addit rationes obligatorias: Deus 7) ad omnium hominum salutem dedit suum Filium Jo. 3, 16. Jo. 2, 1. 2. 9, possunt ergo & debent evehi homines ad summam illam dignitatem Filiorum Dei Eph. 1, 5. 11. 12. Rom. 8, 17. atque cohæredum Christi; quare maxime sunt amandi — — præcipue 8) veri Christiani ad alios fraterne amandos tenentur ex Jo. 13, 35. — — utpote quos ipse Dei Filius dignatur fratres, sorores vocare Mat. 12, 50.

B. Motiva 1) Deo *placemus*, quia ad Ejus ita vivimus voluntatem — — quod vero maximum procul dubio præmium! Nec remunerari desinet Deus in hac & futura vita, qui leges Ejus observant, Gal. 6, 9. 2) etiam hominibus, præprimis bonis, optimis, eo sumus accepti; unde multa nobis in hac vita commoda; & vel barbarum lucrari amore possumus: 3) bona inde conscientia, & gaudio repleta aliis profuisse; præcipue quod ad salutem
eo-

eorum æternam : est 4) amor proximi nobis indicium certissimum, nos & vere Deum amare & esse Christi verum discipulum I Jo. 4. 20. 21. Jo. 13. 35: 5) quia per amorem proximi Deo & Christo eo evadimus similiores, qualis hæc animæ præstantia, perfusæ Dei proximique amore a Spiritu Sancto Rom. 5. 5. Cap. 8. 15. I Jo. 4. 20; & 6) purgatæ ab inimicitia, odio, invidia — — superbia I Cor. 13. 1 — 7. aliisque tot affectibus, vitiisque, sibi aliisque molestis: 7) fama bona in hac, & post hanc vitam; quod ipsis alicujus conducit posteris: 8) per amorem aliorum facilia nobis redduntur omnia erga illos nobis imposita officia: 9) quanta felicitas jam in hac terra, si quisque secundum præcepta nostræ religionis sub Dei gloria alios amaret sicut se ipsum! Jam primordium hoc esset vitæ cœlestis; cœlum quasi in his terris —. Quare qui hoc credit, jam ipse, cum sua familia, etiam ad exemplum aliis dandum, inchoet, peragat, secundum mandatum Servatoris sui regium, vitam illam, quantum in hac terra fieri potest, divinam, cœlestem — —.

C. Media: 1) frequens meditatio illarum rationum I. A. & B. traditarum; atque ex his præcipue, esse hoc, ut proximum amemus, voluntatem Dei & Servatoris nostri, a quibus tota nostra salus pendet, seriam: 2) per amorem & benefaciendo aliis, eos eo aptiores reddimus ad Dei fines persequendos: 3) ut in proximo æstimando & amando, eum ab utraque sua parte spectemus; debemus non tantum ejus imperfectiones, sed etiam ejus perfectiones respicere —: 4) nescimus, ubi quis prodesse

T

nobis,

nobis, nostris, aliisque possit: 5) ut bene ordinatus noster sit amor; simul præterea rationes pensitandæ sunt graviore vel minores ad amandos alios præ aliis: 6) hæc tamen minime sufficiunt, nisi per religionem christianam, per fidem cor nostrum & sanctificetur, & purgetur ab impedimentis amoris proximi, ex. gr. ab amore proprio, invidia, superbia —; atque amor Dei & proximi iterum incendatur in cordibus nostris: 7) preces ad Deum pro dando amore vero proximi; quod vero non excludit nostrum studium — — Illis regulis, præcipue quando occasio se offert, ad amorem nostrum testandum, adhibeatur 8) Servatoris præstantissima lex Mat. 7, 12. & simul expendatur, sine hac observata non Ejus veri nos esse discipuli: 9) supprimendo simul per auxilium Divini Spiritus Rom. 8, 13. omnes reliquias impedimentorum veri amoris erga proximum, etiam subtiliorum, condonando etiam illi suas offensas Mat. 6, 15: atque 10) ubi propter collisionem cum aliis inde patimur, hoc patiente animo, ut divinum fatum, feramus & amorem erga illos omnilabore servemus, vel sub ipsis offensis, Mat. 10, 30. Maturare illa in nobis debent humilitatem, modestiam, patientiam, aliasque virtutes christianas.

Ut vero & alii nos amare possint, illos primo amare — debemus; secundum tritum illud, amor excitat amorem: porro 2) neminem neque gestibus, verbis, neque factis lædere debemus, denique 3) esse humani, mansueti, officiosi, civiles, modesti — — & omnia erga alios officia libenter præstare.

§. 139.

Proximum amare debemus sicut nos ipsos — — i. e. *æqualiter*, confer §. 137. n. 1. 2. & *similiter*. Similiter: ergo officia nostra ipsi debita vel pertinent ad ejus salutem spiritualem ac æternam, vel ad ejus salutem temporalem; alio respectu vel ad ejus animam, corpus, & statum externum §. 108. Quod ad curam aliorum animarum, hæc proxime & proprie competit *ecclesiæ doctoribus*, Heb. 13, 17, *parentibus*, Ephes. 6, 4 — —; interea tamen cujuslibet etiam est Christiani, tantum pro suis viribus, circumstantiis & occasione, ore, scriptis, ad salutem spiritualem aliorum, quæ maximi ponderis est, conferre, quantum potest, 1 Pet. 4, 10. Jac. 5, 19. 20. Possunt & debent omnes, præcipue auctoritate pollentes, *sua vita & exemplo* alios docere & ædificare, Mat. 5, 16. 1 Pet. 2, 9. Heb. 10, 23. 24. Dicitur vita ad pietatem aliis instillandam, eamque in iis promovendam, instituta, *die Ehrlichkeit*, ad quam per antecedentia obligamur; de qua vid. *Stapf*. Th. M. T. VI. p. 57 — —

Ore alios alii ædificant, per bonos sermones de veritatibus religionis — —; aut adhortando, excitando ad bonum — dehortando a malo 1 Thess. 5, 11. Fieri hæc autem omnia debent cum sapientia & prudentia spirituali, habito respectu ad personas, locum, tempus —. Qui ore vel scriptis, præcipue ultima ratione sua cogitata divulgat, probe sibi caveat, ne alios in errores aut dubia, — — præcipue in rebus religionis, inducat. Nam quanta damna, quæ in detrimentum animarum inde oriuntur; &

quanta crimina auctorem esse tot tantorumque malorum, quæ introducuntur in mundum per impias & perversas doctrinas — Istud vero facile fieri potest 1) si magis ex pruritu inclarescendi, nova producendi, — vel aliis rationibus illegitimis aliquis scribit, quam potius ex amore veritatis, & ad Dei glorificationem, proximique ædificationem — denique 2) antea scribendo quam quis sua cogitata satis superque habet perspecta, digesta atque vera comperta —

§. 140.

Prospicere autem non tantum debemus, ne alios in errores, dubia — inducamus, aut in ignorantia, errore detineamus; sed etiam ne malo nostro exemplo vel alia ratione in vitia deducamus. Huc pertinent *Scandala*. Dicitur *προσκομμα*, offendiculum, *Anstoss*, sensu grammatico: quod alicui in via obest, ex. gr. lapis, vel aliud quid; sensu morali: *Aergernis*, quodcumque in via veritatis, vel pietatis aliis impedimento est —, aut quia aliis id esse potest, aliquem contristat. Quando distribuitur scandalum in *datum*, vel *acceptum*, hæc distributio non semper est divisio, sed distinctio. *Scandalum datum*, seu proprie sic dictum, est, ubi quis sua vita vel doctrina mala impedimento in religione aliis revera est, vel esse potest; *acceptum*, ubi illa minime sunt vitiosa, sed sit culpa offensi. *Datur igitur scandalum* 1) si propter vitam vitiosam profitentis doctrinam cœlestem, hæc blasphematur, 1 Jacob 2, 7. Rom. 2, 24; i. e. ubi doctrinæ malæ vitæ ratio tribuitur, eoque alii deterrentur a tali religione: 2) ubi quis falsa
doctri-

doctrina alios in errores, dubia, inducit; aut diffidia excirat, Rom. 16, 17: vel 3) mala vita aliis ad peccandum ansum præbet; vel contemtu vitæ probæ illos in hac impedit, Mat. 18, 6. 7 — —: vel 4) abutitur libertate Evangelii, aliosque conturbat, Rom. 14, 15. 1 Cor. 11, 13. *Acceptum* est a) ubi quidam ob sua præjudicia, quæ mittere non vult, aut ex superbia — — offenditur doctrina vera, 1 Cor. 1, 2. 3. Marc. 6, 2. 3: b) ubi quis offenditur — actionibus bonis, potissimum ex iisdem rationibus, Mat. 9, 2. Cap. 11, 6. Joh. 5, 16: c) ex actionibus indifferentibus, ubi minime quis malam habuit intentionem.

Qui scandala dat, ille maxime peccat; conferantur loca n. 1—4. Ubi quis prævidet, præcipue doctor ecclesiæ, ex actionibus indifferentibus n. c. scandala accipi posse, ille melius has intermittit 1 Cor. 8, 11. 13. Cap. 9, 19—23. Hujus vero præprimis etiam est, profligare præjudicia, ne bonæ actiones, aut indifferentes bonis propiores, sint scandalo accepto, doctrina nimirum veritatum magis peripicua Mat. 12, 1—6. Jo. 16, 1—4: cujuslibet etiam est Christiani proficere in cognitione — — ad deponenda omnia præjudicia.

§. 141.

Officia erga alios, quæ præcipue ad vitam hanc & salutem temporalem pertinent, distribuuntur in perfecta & imperfecta. *Officia* inter homines *perfecta* dicuntur, ad quæ quis, nisi illis satisfaciatur, cogi potest, idque secundum Dei ordinem, quia alias genus humanum sal-

T 3

vum

vum non maneret. *Officia imperfecta*, ubi hoc ex eadem ratione ab hominibus fieri nequit. Dicuntur & illa *officia justitiæ*; hæc *charitatis, æquitatis*. Ad officia inter homines perfecta pertinent, officia respectu vitæ, bonorum, famæ aliorum, & jurium, quæ in res, vel in alios homines, ex pacto, aut per naturam societatis, habent. Ad officia charitatis pertinent *beneficentia* Hebr. 13, 16. Rom. 12, 13. *misericordia* Mat. 5, 7. Luc. 6, 36.; *gratitudo*; *officiositas*; *mansuetudo* Mat. 11, 28. Rom. 15, 12.; *humanitas, civilitas, amor inimicorum* Mat. 5, 44. *preces pro omnibus* — —. Mixti generis sunt *pacis studium* *), Mat. 5, 8. Rom. 12, 18. *placabilitas* Mat. 6, 15. Coll. 3, 13. *veracitas*. Probe autem notandum, officia illa inter homines imperfecta, respectu Dei esse perfecta necessaria. Mat. 23, 41—43. Differentia tamen illa, quæ inter homines mutuo consideratos obtinet, in Theologia morali etiam est tractanda; quia Christiani quoque est, in collisione officiorum perfectorum & imperfectorum, antea agere virum justum, quam beneficum — —

§. 142.

Vita proximi maximum ejus est bonum, quod Deo refert acceptum, cujus etiam Deus solus

*) Ita perfecte quis obligatur, ne alios lædat, est autem officium respectu hominum imperfectum pacem lætam inter alios restituere. Similiter perfecte quis tenetur, ne falsiloquio alios lædat; si vero alicujus sermones alterum non lædunt, hic & etsi non veri sint, ab illo rationes exigere nequit —

solus est Dominus, conf. §. 122. Quamobrem, qui proximum occidit, summum committit peccatum. Non tantum enim ipsum privat crudeliter tanto Dei beneficio, sed & bonis, quibus eo fruitur, & ad quæ præparare se debet. Peccat ergo 1) maxime *in proximum*; cujus, si hic fuerit irrogenitus, simul perdit *) animam; si regenitus, cohibet eum tamen simul ab ulteriori & pleniori ad vitam futuram præparatione. Peccat quam maxime 2) in Deum solum vitæ Dominum præstantissimæ suæ creaturæ, præsertim ad Ejus imaginem conditæ. Peccat 3) in occisi familiam —, in alios homines, quibus profuit, vel prodesse, per longiorem vitam, adhuc potuisset, in civitatem, in ecclesiam, qua hujus membrum, etiam propter scandalum datum, Unde homicida capite plectendus, Gen. 9.6. Mat. 26, 52. Rom. 13, 4. Apoc. 13, 10. atque excluditur a regno cælorum Gal. 5, 21; & quamdiu porro vivit, acerrimis torquetur conscientiae moribus. Subtiliori modo occiditur proximus 1) *odium, invidiam, vindictam* in proximum fovendo 1 Jo. 3, 15; mortem enim ejus ex istis rationibus facile optat, quare jam interne alterum occidit, Mat. 5, 21. 22. cum v. 28 — Gen. 4, 5. 8; 2) seducendo alios ad vitia intemperantiæ, incastitatis; illis injiciendo vehementes affectus, metum, tremorem, horrorem, ægritudinem; in genere quibus aliorum sanitati & vitæ nocemus, quo pertinent circumforanei, alique medicinam dantes, qui mor-

T 4

bura

*) Fieri enim potuisset, ut respiscat — —

bam & medicinam non intelligunt: 4) non eripiendo aliquem ex vitæ periculo, ubi fieri hoc potuisset; quo pertinet, ubi quis ex duritie non succurrit, qui summis sunt in angustiis — —.

Quia Deus vult servari vitam aliorum illis præceptis, Gen. 9, 6. Rom. 13, 4; cujuslibet est, pro viribus, consiliis & factis tantum conferre ad vitam sanitatemque aliorum conservandam, quantum potest. Ad quod quemlibet amor proximi præceptus simul constringit.

§. 143.

Quod ad bona terrestria, quæ in dominio aliorum sunt, Deus expresse mandavit Exod. 20, 15. confer Mat. 19, 18. Rom. 13, 9. *ne furaberis.* *Furtum*, stricte sic dictum, est rei alienæ ablatio, infcio & invito domino; cujus major gradus est *raptus*, seu violenta ablatio rei alienæ, conscio quidem, sed invito domino. Furtum æquiparant, quia alienum injusto modo aufertur: 1) falsæ monetæ, falsæ, seu dolosæ lances, ulnæ, merces: 2) variæ, vario in vitæ genere, crassiores vel subtiliores, fraudationes, — — Prov. 11, 1. 2. 1 Theff. 4, 6: 3) detentio rei alienæ, animo, eam propriam habendi: 4) quando debita privata Ps. 37, 21. vel publica Mat. 22, 21. Rom. 13, 6. 7. non solvuntur: 5) operariis merces debita non tribuitur, aut de hoc detrahitur Jacob. 5, 4. Jer. 22, 13. 7) scenus immodicum *) 8) omif-
sa

*) Mercedis modicæ de suis rebus, domo, agro, — ita similiter de sua pecunia mutuata, pro proportionem facti lucri, operæ ad lucrum faciendum, & pericu-

sa restitutio damni illati. Quia furtum fit, & huic similes fraudationes, vel ex pigritia, avaritia, vita voluptati dedita — —, atque semper ex corde impurissimo, Dei præcepta & præsentiam minime reverente, ipsique minime confidente, neque Eum, neque proximum amante, istis verò quies privata & publica turbatur, aliorum opes dissipantur, adhæc consulto fit & de industria: eapropter istud turpissimum est peccatum. Quare fures non tantum puniendi a Magistratu Exod. 21, 1 — 4. Rom. 13, 3. 6. 1 Tim. 2, 2. sed etiam, quod gravissimum est, non participes fiunt regni cælorum, 1 Cor. 6, 10. Unde quæ furta & fraudes non a Magistratu puniuntur, Deus puniet, etiam in ipsa hacce vita variis infortuniis. Quod, & quam detestetur Deus omnis generis injustas acquisitiones & possessiones, præprimis patet ex Zach. 5, 4. Hab. 2, 6. 7. 9. Prov. 13, 23.

Schol. 1. Quia neminem lædere debemus, quodcumque damnum, quovis modo alteri nostra

T 5

culpa

periculi mutuarii non sunt contra religionem christianam — —. Quemadmodum vero non licet de omnibus rebus, etiam propter relationes personarum — — mercedes sumere, ita quoque vult Servator, ut Christiani pauperibus etiam gratis mutentur; minime vero simul præcipit, ut divitibus hoc fiat — —, & qui magna lucra ex pecunia alterius faciunt — Unius positio non est alterius negatio, conf. Luc. 6, 34. 35. cum v. 32. 33. & Mat. 5, 46. 47. Sine pactis scenebribus maxima negotia & commercia subsistere non possent in republica; Servator respublicas, & revera utilia in eis, nusquam tollere voluit.

culpa illatum, reparare, quantum possumus, debemus, conf. *Krafftii* Sciagr. Th. m. Cap. X. & *Lefs.* Th. m. §. 68. ff.

Schol. 2. Nec licet ex vanæ gloriæ cupiditate, aliisque rationibus illegitimis, aliquid (vel sua officia) facere, quo alter lædatur, hujus victus necessarius minuat — —

§. 144.

Finis autem divinatorum illorum præceptorum de non furando, nec fraudando alios, est, ut bona proximi non minuantur, sed conserventur. Dantur status & munera hujus vitæ, ubi quis perfecte tenetur ad conservanda & augenda, legitimo modo, bona aliorum temporalia, ex. gr. quæstorum, tutorum — —. Immo ipsi parentes, etsi non a liberis, tamen a Magistratu, propter hos, ad curam rei familiaris adstringi possunt; religione quoque christiana quam maxime parentes ad eandem obligantur, 1 Tim. 5, 8.

In genere omnium est Christianorum, etiam si pro suo statu ab aliis ad id cogi nequeant, aliorum etiam bona pro suis circumstantiis, & salvis aliis obligationibus, curare Mat. 22, 39. Phil. 2, 4; suisque bonis, factis, aliis inservire, Mat. 5, 42. *Benignitas* est studium tantum ad salutem etiam temporalem veram aliorum conferendi, quantum pro nostris circumstantiis possumus Mich. 6, 8. *Beneficentia* est studium bonis suis aliis, etiam citra debitum, inserviendi Gal. 6, 10. Hebr. 13, 10. 1 Tim. 6, 18. 19. *Misericordia* est beneficentia erga eos, qui sunt
in

in angustiis, & pauperes, Rom. 12, 13. Prov. 19, 17. Luc. 14, 13. 14. Cap. 16, 9. *Officiositas* est promptitudo, & suis factis & rebus, aliis inferviendi, Petr. 4, 10. *Gratitudo* est amor, si fieri potest etiam efficax, erga benefactorem.

Ad hæc omnia, præcipue misericordiam, Mat. 25, 40. quam maxime obligatur Christianus ex Mat. 22, 39. Phil. 4, 8. & locis semper additis. Atque ut fiant ex fide, in charitate operosa, Gal. 5, 6. 2 Cor. 5, 14. 1 Cor. 13, 3. 2 Cor. 9, 7. Remunerabitur illa Deus in hac & futura vita, Mat. 6, 4. Cap. 5, 7. Gal. 6, 9. 10; etiam multa & varia inde, harum virtutum studiosis, erunt ab ipsis hominibus expectanda commoda — —.

§. 145.

Quum homines, etsi vario statu & ordinibus, propter salutem publicam externam, differant, tamen qua homines — — sibi invicem maneant æquales, confer §. 137. A. n. 1-7; quilibet a natura, non obstantibus illis variis & diversis ordinibus, jus in existimationem sui, qua hominis, habet & retinet. Porro, quia per facta turpia, ex. gr. furta, perjuria, cædes — aliquis fit injustus; quilibet etiam, qua homo, jus habet in existimationem justī viri. Quare cujuslibet hominis, præcipue Christiani est, quemlibet æstimare, qua hominem, etiam qua justum virum, donec certo constet contrarium. Quia vero perfectiones accidentales, physicæ & morales, varie inter homines sunt distributæ — —: nemo quidem jus habet, exigendi ab aliis, ut suas perfectiones majores censeant.

Chri-

Christianus tamen ex justa cujuslibet æstimatione, vero proximi amore, & ex adprobatione providentiæ divinæ, ubi majores perfectiones invenit, illas etiam æstimat & honorat. Inprimis etiam Christianus eos, qui dignitatibus civilibus, ecclesiasticis, aliisve, præcellunt, debitum testatur honorem Rom. 13, 7. — — *Contemnere* est aliquem minus æstimare quam meretur; quod si id testetur quis verbis factisve, dicitur *contentus externus*. Christiani est neminem contemnere, conf. §. 137. A. n. 1--7; neque famam illius, honoremque imëritum lædere: sed famam aliorum tantum illorum bonum, conservare, Mat. 7, 1. I Cor. 6, 10. Cap. 13, 7; debitumque honorem cuique tribuere, I Petr. 2, 17. Quidquod aliis honore prævenire debet Christianus, Rom. 12, 10. *Civilitas* est propensio cuique debitum honorem tribuendi, immo aliis honore præveniendi. Quod si quis per malefacta contemptum mereatur, teque ista non feriant, minime jus habes, istum contemnendi Rom. 14, 4. I Cor. 4, 5: & si te læserit, pœnam & contemptum debitum — — Magistratui relinquere debes, tu enim, læsus, facile etiam nimium facere poteris. Utroque simul in casu ex amore erga illum qua hominem, vel etiam Christi nomen tecum profitentem, dolere potius animæ ejus perversitatem debes, atque precari Deum pro ejus resipiscencia Mat. 5, 44. — —

§. 146.

Quod ad officia circa loquelam 1) tacere debemus, quæ nobis sunt concredita, Prov. 25, 9.
2) quæ

2) quæ aliis vel nobis sunt noxia **1 Cor. 13, 7.** nisi in utroque casu obligatio major nos obstringat, vel ad detegendum ibi, n. **1.** malum factum, quod quidam in animo habet; vel hic, n. **2.** Magistratus id, vel alia obligatio postulet:
 3) tacere non licet, quibus damna ab aliis avertere possumus **Actor. 23, 16.** *Taciturnitas* est habitus tacendi, quæ pro nostra obligatione tacere debemus; cui opponitur *loquacitas*, quæ est habitus imprudenter, & plura loquendi, quam decet & oportet. Ad taciturnitatem, & prudentem linguæ usum obligamur, præter illa loca, ex **Jacob. 3, 8.** **Cap. 1, 19.** **1 Petr. 3, 10.** **Prov. 10, 19.** Aestimationem, amoremque aliorum sibi comparat vir tectus, dominusque suæ linguæ — — Loquacitate sibi quis & aliis nocet **Prov. 13, 3.** **Cap. 16, 26.** Contemptum sibi contrahit loquax, sæpius etiam proprios nævos tacere nesciens, atque odium aliorum. Ad prudentem & debitum linguæ usum præterea pertinet, ut non nisi ad Dei gloriam, nostramque & proximi utilitatem facientia loquamur: possunt nostri sermones nil illiciti, turpis continentes, sale quidem esse conditi, procul tamen abesse debet omnis subtilior aut crassior obscenitas, scurrilitas **Mat. 12, 36.** **Ephes. 4, 29.** **Cap. 5, 4.** **Col. 4, 6.**

Sinceritas est studium ita loquendi & agendi, quemadmodum interne sentimus. *Veracitas*, seu *veritas ethica*, est habitus loquendi pro animi sensu. *Candor animi* complectitur utramque virtutem. Propter Dei omnipræsentiam, finem etiam sermonis, seu loquelæ —, semper ad sinceritatem & veracitatem, quan-

do loquimur, obligamur; Luc. 20, 21. Eph. 4, 25. Cap. 5, 9. Psalm. 15, 2: atque nil turpius est Christiano ac mendacium, cuius parens prædicatur diabolus, Jo. 8, 44. Ephes. 4, 25 — — Quemadmodum autem in omnibus officiis, si colliduntur, majori minus *) cedere debet: ita si majus officium, ex. gr. — *erga vitam innocentis*, cum hoc, *veritatem dicendi* latroni, ea abusufo ad homicidium colliditur, hoc propter ea erit negligendum — — confer *Miller Th. M. §. 204.* Adesse autem in tali casu vera collisio debet, ut gravius obsit officium, contra quod alias pecamus, confer. Exod. 1, 17 — 20. Talis sermo, si non licet tacere, *falsiloquium* quidem, minime *mendacium* dici potest, quia per hoc aliquid turpe semper intelligitur.

Mendacium est omnis sermo falsus, seu qui non convenit cum animi sensu, excepto illo, propter collisionem cum officio majori, seu est falsiloquium cum læsione debitæ veracitatis. Mendacia igitur sunt vel *dolosa* **), *damnosa*, *boshafte Lügen*; vel *ex levitate* seu habitu falsa loquendi, sine animo nocendi, *leichtsinige Lügen*; vel (falso sic dicta) *necessitatis*, *Nothlügen*, nostri

*) Ita propter vitam conservandam, si aliter illud fieri nequit, licet aliquid auferre proximo, impune in foro humano, conf. M. 12, 1, ff. Similiter propter religionis confessionem, in collisione, vitam nostram negligere debemus; Mat 10, 28 — 32. adeoque, ob officium maximum erga vitam æternam minus erga vitam præsentem.

**) Huc pertinent falsa testimonia in foro dicta, conf. §. 99. & Exod. 20, 16. Prov. 15, 9. Deut. 19, 18. 19.

nostri gratia vel alterius *) facta, extra statum collisionis veræ cum officio majori; vel *adulationum*, seu *blanditiarum*, quando ad benevolentiam alterius captandam ejus perfectiones, facta, præter rem extolluntur, imperfectiones, vitia, tacentur, excusantur, laudantur. Cum hoc genere mendaciorum minime *verba officiosa*, seu *civilitatis* (Complimente) recepta & decentia sunt confundenda; hæc enim ex usu intelliguntur. Si modum excedunt, vel ad blanditiarum mendacia pertinent, vel sunt insipida. Nec verba jocosa sunt mendacia, quia non serio sunt sumenda — —; quid de his vero censendum, jam supra monui. Ad mendacium damnosum pertinet reticentia dolosa, seu damnosa. In foro humano tantummodo mendacium damnosum & reticentia dolosa, quia his alii læduntur, in censum veniunt; in religione omnis generis mendacia sunt illicita.

Uti mentiri non licet directe; ita similiter fieri non hoc debet indirecte: est utrumque contra sinceritatem & veracitatem, ad quas tenetur Christianus; etiam propter fidem suam conservandam — —. Indirecte illud fit per reservationes mentales, æquivocum sermonem, simulationem, dissimulationem: hæc igitur minime licent Christiano, nisi obligatio major obsit. Si vita innocentis servari non potest, nisi per æquivocationem, reservationem mentalem, quis hic adstrictum quem dicat ad veritatem dicendam, ex. gr. latroni, aut alii, innocen-

*) Dicuntur hæc quibusdam officiosa; quæ igitur illicita, nisi ad præcavendum in statu collisionis officiorum, malum gravius — —

centem persequenti? Coram hæc exemplis ex historia illustrabo. Quis dixerit militum duci christiano non licere uti stratagematibus? hæc autem sunt simulationes aut dissimulationes. Machiavellus, qui tales opiniones imputat religioni christianæ, eam inde petit ut nox ancivitati. — —. Sed talia non licent in foro *), in pactis; quia hic nullum colliditur officium majus. Magistratui enim, qui loco Dei est, non ultra limites sui imperii quid, nec injusta postulanti parere debemus. Et in pactis unusquisque, tacite ad minimum, promittit, se sufficienter, adeoque sincere se declarare velle; adeoque ad id obligatur: & quod uni hic liceret, (*fallere*) alteri quoque liceret; ubi vero tunc pacta? Hæreticis ergo, seu aliter in rebus religionis sentientibus, quoque est servanda fides.

Qui sine simulatione & dissimulatione loquitur & agit cum aliis, ille dicitur *apertus*. Per antecedentia patet, *sincerum & veracem* uno verbo *cordatum* esse debere apertum cum cautione, seu prudentia.

§. 147.

Judicia de proximo dicuntur *temeraria*, ubi aliorum actiones sine amore, scientia & necessitate judicantur; Fiunt autem, ubi 1) proximi actiones judicantur cum suspitione, aut ex invidia, odio, partium aut taxandi studio —, tribus verbis ex amore proprio sui que perverso; proximo 2) malas affingendo intentiones, vel eas

*) Minime in juramentis, quia adhæc Deus hic invocatur testis veri — —

eas, si quas colligere ex actionibus liceret, exaggerando — —; ejusque 3) verba factaque dubia male, levia deterius, recta finistre interpretando — —; 4) ubi hæc omnia præterea fiunt sine completa rerum cognitione; — — 5) denique nostri jam non est muneris, nec status alterum judicare Rom. 14, 4. Ad ista temeraria judicia referendi sermones, quibus aliorum nævi sine necessitate divulgantur, ac quodam cum delicio narrantur, aut audiuntur — —. Sunt ista omnia turpia, Christianum præcipue minime decentia; fiunt enim ex rationibus improbum cor manifestantibus — — confer Mat. 7, 1. ff. Rom. 14, 10. *Obtrectationes* in specie, *Verläumdungen*, sunt falsiloquia, quibus aliorum virtutes, bona facta, famaque bona & honor meritis minuuntur, aut illorum offensæ, nævi augentur. *Calumnie* *), *Lästereien*, sunt falsiloquia, quibus alicui imperfectiones aut malefacta tribuuntur. Sunt 1) mendaces obtrectatores & calumniatores, summumque 2) erga proximum odium, animumque nocendi produnt, atque hunc 3) singulari nequitia præditum; quare & excluduntur ex regno cælorum I Cor. 6, 10 —, & puniendi a Magistratu civili calumniatores, ut tueatur quemlibet a læsionibus. Quemadmodum omne damnum illatum reparandum; ita quoque damna famæ, dignitatisque alicujus illata — — Fit illud pro rei natura 1) *per honoris declarationem*; siquidem nondum constet, sed dubius adhuc

*) Ad obtrectatores & calumniatores etiam pertinent talium mendaciorum propalatores,

adhuc est animus injuriandi, ac an culpose an dolose illud factum: si constat, atque læsio sit minor 2) *per deprecationem*: si vero injuria fuerit major, & verbalis, pro circumstantiis fama non reparatur, nisi 3) *per recantationem*, seu palinodiam, ubi quis declarare tenetur, se mentitum in iis, quæ de aliis divulgavit — —. Si quis maximum calumniandi animum, injuriando vel plures personas vel qui in summa dignitate sunt positi, prodit, ex. gr. per libellos famosos —, a christiana religione, & rei natura, non est alienum, istos, qui tot hominum famam maculare criminibus intendunt, ipsa sua fama privare, & infames declarare *). Christianus magno animo **) judicia temeraria, obtreccionum & calumnias ad Servatoris sui & Apostolorum exemplum fert, contrarium mundo per vitam suam probam ostendendo. Convictus etiam, lucem veritatis sub providentia divina, nebulas obtreccionum & calumniarum tandem disperfuram, quo clarius sua innocentia mundo probis ad minimum, adpareat. Ubi vero innocentia alicujus a calumniis non aliter liberari potest, quam per auxilium Magistratus, illique jam maxime interesse debet, ut fama sua restituatur, cum alias in munere suo impediatur, vel salus sua temporalis a famæ repa-

*) Minime vero duella sunt modus reparandæ famæ congruus. Nec enim per ista probat quis suas virtutes, nequidem suam fortitudinem; atque vita alterutrius, aut utriusque in periculum vocatur, quod jus nemo habet.

**) Magnanimitas Christiani ejus est certa persuasio, sibi neminem nocere posse, Jes. 41, 10. — —

reparatione pendeat, quales casus coram allegabo: vel ipse Christianus in tali casu, me quidem iudice, auxilium Potestatis civilis, confer Rom. 13. 1. 3. implorare potest, ita tamen, ut suo proximo, cuius emendatio ipsi simul curæ cordique esse debet, tantum parcat, quantum fieri potest.

§. 148.

Pax vel est 1) *cum Deo* *) Rom. 5, 1; vel 2) (propterea) *in conscientia* v. 5. — —; vel 3) *cum aliis hominibus*. Priorum specierum n. 1. & 2. participes evadimus per fidem in Christum: nos hic agemus de pace cum hominibus colenda. Status, ubi plures idem sentiunt ad minimum, non obstante sententiarum diversitate, mutuam amorem foveat, dicitur *concordia*. *Pax externa* est status, ubi alii alios neque lædunt, neque offendunt; *interna*, ubi simul nullum foveatur odium, sed amor mutuus. *Pacis studium* est studium, pacem cum aliis, & inter alios, conservandi & restituendi.

A. Ad pacem internam & externam obligamur Mat. 5, 9. Marc. 9, 50. Rom. 12, 17. 18.

B. *Motiva*: 1) ex Mat. 5, 9. Hebr. 12, 14: 2) ex Mat. 6, 14: nemo certe cum Deo pacem sibi promittere potest, qui non studet paci cum proximo — —: 3) ex 1 Petr. 3, 9 — 11: 4) Col. 1, 20. Ephes. 2, 14. Ad exemplum Christi pacifici veri quoque. Ejus discipuli paci cum aliis, & inter alios, studere debent: 5) maxima, vel in hac ipsa vita, ex pace comoda, in familia, in collegiis, societatibus — —; atque

U 2

ma-

*) Hæc includit pacem æternam Jes. 57, 2.

maxima e contrario damna — animi turbæ — ex contentione & litibus. Notum est illud; nulla salus bello (in familia, — ecclesia, civitate,) pacem te poscimus omnes; atque pacem esse præstantissimum bonum inter mortales.

C. Media: 1) ut studeamus — neminem offendere, neque lædere: 2) — iustitia & benignitate benevolum animum aliorum erga nos, quantum salvis aliis obligationibus fieri potest, nobis conciliare & conservare: 3) — evitare simul loquacitatem, irrisionem, obrectationem, adfectionem in obrectatione —; porro — avaritiam, superbiam, invidiam, iracundiam, vindictæ studium, morositatem, ebrietatem, jocos ineptos, ludos, ex quibus facile rixæ oriuntur — 4) — facta autem a nobis offensione, aut læsione, eam iterum tollere, Mat. 5, 23. 24: 5) — nec audire loquaces, nec susurrones, evitare simul credulitatem: 6) — nec temere aliquid pro læsione aut offensione habere; evitare ergo suspicionem nimiamque sensibilitatem: 7) — esse placabiles Mat. 6, 13. 14. 8) —; libentius aliquid damni pati, quam litem incipere I Cor. 6, 7: 9) — nec agere susurronem apud alios: 10) sed — pacem inter alios colere, & ruptam inter hos restituere: 11) — esse taciturnos: denique 12) ut Deum precemur pro spiritu pacis, quo vel ipsos amare possimus nostros inimicos, & qui in genere nos vel lædunt, vel offendunt, crassiori aut subtiliori modo — —.

Ex n. 6. 7, & fine n. 12. adparet, quam necessaria sit propter pacem — — *mansuetudo* & *placabilitas*. *Mansuetudo* sensu latiori, ubi inclu-

includit præcipue humanitatem, est habitus propensionum ac morum non durorum, sed gratorum & suavium erga proximum; gravitas Christianum decens illam condit. *Manfuetudo* f. ftr. est habitus, non temere aliquid pro læsionibus aut offensionibus habendi, atque ubi læsi sumus semet temperandi, non vindicandi Mat. 11, 29. Non excludit hæc se, suumque, ubi officium nostrum hoc postulat, tuendi.

§. 149.

Inimicus dicitur internus, qui odium in alterum habet, *externus*, qui simul verbis & factis illud proficitur. Omni pacis studio (conf. §. 114 Lit. C.) allaborare debemus, ut inimicitiam aliorum evitemus. Quod si tamen sine nostra culpa quidam noster est inimicus, ad mandatum Servatoris, Mat. 5, 23. 24. 44. & exemplum Ejus & Dei v. 45. Luc. 23, 34. amare nostros inimicos debemus — —. Non quidem, quod nec Deus facit, nec vult, *amore beneplaciti*, ut beneplacitum habeamus in eorum malis factis, & indifferentes simus erga eorum læsiones, quos potius impedire [conf. Rom. 13, 4. *)] & effugere tenemur; sed amore *benevolentiae*, ut eis bene velimus, eorum optemus, precemur resipiscentiam — —, & tantum ad illam, eorumque salutem temporalem, conferamus, quantum possumus. Nostra enim benignitas, nostra manfuetudo, patientia — — & beneficia præter preces, sunt media ad

U 3

mutan-

*) Quare nec actiones (in foro), ubi necessitas exigit illas, sunt contra christ. religionem 1 Cor. 6, 1. ff.

mutandum perverſum eorum animum, confer Rom. 12, 20. cum Prov. 25, 21. 22. Proni eſſe debemus ad remittendum offenſas debitoribus noſtris, nec odium erga eos, nec vindictæ cupiditatem animo fovere — — Mat. 6, 14. Rom. 5, 8. Cap. 12, 17. Jac. 5, 19. 20: ſed potius nos reconciliare *) eis benignitate, manuſuetudine Col. 3, 12. 13.; — etiam ne nobis amplius noceant 1 Petr. 3, 10. 11. Gratia ſi unquam Dei auxilians neceſſaria, certe ad hoc erit officium, carni & ſanguini noſtro adeo arduum; ſimiliter ad eradicanda omne odium & invidiam, ſubtiliora & interna; quæ oriuntur & oriri poſſunt ex offenſionibus aliorum, aut collisionibus variis illorum noſtrorumque commodorum temporalium **) pro relatione ſtatuum, munerum, vitæ generis — —. Eſt amor inimicorum, ad normam præcepti Servatoris noſtri, & in genere nos offendentium, vel nobiſcum collidentium, certiſſimum indicium regenerationis noſtræ Jo. 13, 25: ubi vero laborandum eſt Chriſtiano contra reſiduas perverſas inclinationes & affectus — —, & precandum pro Dei auxilio, ut gratia Spiritus S. placida emendet, corrigat, mitiget cor noſtrum excitatum in alios, hocque ipſum reddat placidum — —.

ſhol. De patientia, qua officio erga Deum, ſupra §. 94. fuſe egi; atque ita, ut includat illam qua

*) Prudentia tamen chriſtiana requirit, cum inimico reconciliato cautius converſari — —

**) Grates ſint Deo, quod bona ſpiritualia non colliduntur; nec ullæ hic collisiones.

qua officium erga proximum. Explicatio tamen hæc etiamnum erit pertractanda. Est patientia erga proximum filia mansuetudinis, quæ illam quodammodo complectitur. Quemadmodum autem mansuetudo non temere aliquid habet pro offensionibus illisque positis te temperat & non ulciscitur: ita patientia — est virtus, in genere errata aliorum offensasque propter pacem — æquo & longo tolerandi animo, quoad alia officia illud permittunt, Col. 3, 12. Variat egregia hæc virtus erga conjugem, liberos, domesticos, collegas, superiores, inferiores. Sociam habet lenitatem, potestati subjectis reprehensiones pœnasque necessarias, tolerabiles, quoad fieri potest, efficiendi, easque mitigandi; amicis, aliisve errata eorum, ubi fieri hoc debet, mansuete detegendi — —. Ipsi non repugnat gravitas, præcipue erga subjectos immorigeros, immo severitas contra contumaces. Ad hanc virtutem vere christianam acquirendam, est 1) necessaria gratia divina, temperamentum hominis placide efficiens; utitur Deus 2) multis etiam & reiteratis calamitatibus — — 3) longius præterea requiritur exercitium —. Maxima habet, pacis studiosa hæc virtus, in usu cum aliis commoda; conciliat sibi animos aliorum —: cum contrario impatiens sibi aliisque sit molestus; pacem facile turbet; neminique, nec suis, sit pergratus atque acceptus.

§. 150.

Amicitia s. *fr.*, *Freundschaft*, est amor mutuus cum familiaritate conjunctus. Non

U 4

repu-

repugnat Scripturæ amicitia, siquidem virtute fuerit animata, 2 Sam. I, 27. 1 Chron. 28, 33 — —. Jo. II, 3. 5. II. 36. Cap. 13, 23. Cap. 19, 26. Cap. 21, 20. Actor. 3, 1. — Dantur variæ amicitia; dantur vero etiam inter has illicitæ. Habet porro gradus vera amicitia. Cordis amicus dicitur, ubi alter alterum vere uti se ipsum amat, hujusque salus ut sua ipsi est curæ & voluptati, 2 Sam. I, 27 —: rariores hi sunt; talis verus si fuerit Christianus, donum est per providentiam Dei. I. In eligendo amico ad sequentes affectiones respicere debemus. Sit 1) verus Christianus; 2) sapiens, prudens, constans; 3) sincerus; 4) tacitus; 5) fidelis; 6) mansuetus; 7) modestus, minime superbus; 8) officiosus; 9) civilis: quo gradu majori requisita illa cui infuerint, eo magis est aptus ad amicitiam. Ut II. talis tuus amicus esse cupiat, stude omnibus viribus illis virtutibus, atque ut ipsi pateant: ne vero illas simules; fraudem enim ille mox detegit, in tuam turpitudinem. III. Verum inventum amicum tibi conservare studeto, per exercitiū illarum amicitia virtutum; præcipue tuendo ejus famam, salutem — — pro tuis viribus. IV. Uti poteris illo in consiliis tibi necessariis, tam in rebus religionis, quam in aliis tibi evenientibus — —: 2) — ejus auxilio; ubi valebit. Minime autem utroque in damnum aliorum, reipublicæ, ecclesiæ, quod vero non fiet ab amicis vere Christianis; potius ad commodum illorum — —: 3) in tuo otio ad conversationem simul utilem & jucundam: 4) cum necessaria quidem familiaritate, debitam tamen concen-

decen-

decentiam, & mutuam æstimationem confer-
vante — —.

Deo potissimum gratias agere debemus, ut fonti, pro omnibus bonis, quæ nobis contingunt, etiam pro beneficiis, quæ alii nobis præstant homines; quia tantum media fuere, ministri providentiæ Dei, utpote qui & eos in talem posuit statum, & benignam illam ipsis præbuit voluntatem, ut nobis bene facere poterint & voluerint. Quemadmodum autem etiam ministro alicujus, libenter, cum voluntate, munus aliquod ab hoc nobis adferenti, gratum quoque testamur animum, ipsumque amamus: ita similiter non a voluntate Dei est *) alienum, immo talis bona animi adfectio Ipsi placebit, ut &, post Deum, benefactores nostros amemus homines, atque gratum erga hos foveamus animum, conf. Rom. 16, 2. 4. Philip. 2, 29. 30. Cap. 4, 10. 14 — —. Non autem gratiam illis benefactoribus animo tantum referre debemus; verum factis etiam, ubi possumus — —. Ubi non possumus, precando pro illis ad Deum, ut remuneretur largiter beneficia eorum nobis præstita. Præterea memores illorum beneficiorum, etiam apud alios — —, honorifici, officiosi, humani, atque civiles erga illos semper esse debemus. Nil turpius

U 5

animo

*) Quodsi omnes amare debemus, vel ipsos inimicos; certe etiam & potius nostros benefactores, conf. Mat. 5, 44—46. Interea christiana illa, & pia gratitudo, qualem supra descripsimus, differt a mere naturali, quæ sola sua respicit commoda, & magis ad homines, quam Deum, conf. *Milleri* Th. m. §. 211.

animo ingrato; qui enim beneficiis devinciri non potest, quo moveatur iste ad amandum suum proximum, immo Deum —: gratus vero Deo & hominibus placet; eosque ad nova incitat beneficia.

§. 151.

Vult vera charitas christiana, ut læta pariter proximi, atque tristitia faciamus communia. Rom. 12. 15. Gaudere igitur debemus de rebus secundis proximi; minime eas huic invidere, peccamus alias in Deum & proximum. Taxamus enim invidia nostra Dei providentiam, & dum invidemus proximo bona, eum minime amamus — Pariter variis malis oppressis nostro, quanto possumus, adesse debemus auxilio Mat. 25, 35. ff.; in quibus plurimi sunt pauperes Deut. 15, 2. Es. 58, 7. Luc. 16, 9. 2 Cor. 8, 7. 8. 14. Consistit autem nostra erga pauperes, quam ipsis debemus, misericordia in cura vel tollendi vel minuendi eorum inopias, confer loca citata; cum consiliis, tum factis Jac. 2, 15. ff. Res præcipue, quæ pauperibus dantur, dicuntur eleemosynæ. Dari hæc debent 1) propter Deum mandantem, qui etiam nostri est misertus, animis nostris deploratis opem tulit, statumque nostrum temporalem fecit, præ pauperibus, magis felicem: 2) ex animo igitur lubenti, hilari, vere misericordii —; non cum objurgatione, aut ex vana gloriæ cupiditate — Mat. 6, 1 — 4; largiter, confer n. 5: 3) ita tamen, ut etiam curam agamus salutis animæ eorum: 4) omni pauperi Luc. 6, 30. attamen cum debito discrimine Gal. 6, 10 — 5) incumbit obligatio hæc divitibus in primis

primis, 1 Tim. 6, 17 -- 19, sed & iis, qui labore manuum victum acquirere debent, Ephes. 4, 28. etiamsi tenues facultates ipsis suppetant; Luc. 21, 1. In genere cuius, qui non ipse eleemosynis eget, 1 Cor. 16, 2.

B. *Motiva* 1) Deo per eleemosynas nostras placemus; Hebr. 13, 16: 2) remunerationes propterea in hac & futura vita; Mat. 5, 7. Cap. 6, 4: 3) gaudia ex auxilio miseris praestito — atque ex honore inde & glorificatione Dei a miseris sublevatis 2 Cor. 9, 11. 12: 4) ut nos animo in miserorum statum transponamus, & cogitemus, quales nunc alios erga nos optemus animatos, Mat. 7, 12. atque perpendamus, quod fieri possit, ut nos ipsi in talem statum, praecipue quando *duri* sumus contra pauperes, incidamus: 5) immisericordes erga pauperes excludantur e regno caelorum, Mat. 25, 42: 6) consideratio unionis cum pauperibus vel per humanam naturam, vel per religionem, vel varia genera societatum, confer §. 138. A. n. 1-7. quare nocent *duri* contra pauperes societati civili, ecclesiasticae —: 7) ansam praebent ad varia vitia, ad quae pauperes sine auxilio aliorum prolabi possunt, ex. gr. fraudes, furta —

C. *Media* 1) ut statum pauperum exploremus: 2) — parce vivamus in victu & amictu: 3) — diligenter laboremus pro nostro ordine & vivendi genere —. Ad media publica pertinent laudabiles illae in rebus publicis constitutiones pro sustentandis pauperibus, ubi homines, qui laborare adhuc possunt, turpique sedant otio, ad labores coguntur, atque opificia — instituuntur, ut quilibet in civitate suum
panem